

viscidis humoribus; vel a fæcibus tartareis; quæ ductibus obhaerentes, viscera prædicta obstruunt atque offerciunt: adeoque seminaria infinitorum propemodum morborum ingenerant.

Huius Tartari purificati destillatum nostrum saporis gratissimi, cum acidulis naturalibus facile certare queat: cuius usu convenienti, in morbis plurimis, medicationes omnium maxime tutæ, jucundæ, actioni naturæ consentaneæ instituuntur. Insigne insuper est ad præservationem à morbis pestilentibus, & contagiosis. Nam naturalem cordis, aliorumque viscerum temperiem tuetur: alvum laxam præstat: temperatas sua frigiditate humorum ebullientium, aut putrescentium, (qui quidem ab aëre pestilenti facilimè corripiuntur) coæervationem, & obstructionem inhibet.

AVREL. Ego hactenus Solarem illum spiritum, auri argenteique, metallis solummodo inesse credidi.

THEOD. Illum, mi Aureli, Naturæ parens non tantum aurum, argentiq; corporibus; sed etiam inferioribus metallis, & mineralibus alijs, in primis etiam thermis, & acidulis benignè concessit atque elargitus est: Sacrum profectò mysterium; salutare Deidonus.

AVREL. Quod ad thermae naturales attinet, hoc mihi persuasum habeo; si quiddam magni, & quidem sine periculo, in magno & periculosis morbis efficiunt thermæ (ut certe efficiunt; præmissis tamen præparantibus medicamentis) id maximè illius occulti, aureoli, siderij, Solaris, Cardiaci, & quasi vivifici Sulphuris beneficio præstant.

Nunc de acidulis paulo copiosius differamus.

THEODOR. Harum tibi primum descriptionem, deinde & usum traditurus sum.

AVR. Quomodo igitur definis acidulas?

THEOD. Acidulae sunt aquæ, imbutæ vaporibus alumino-sis, sulphureis, & aliis Mineralium, & metallorum imperfe-torum, quodammodo glutinosis; cavernis terræ inclusis, in-genitis & congenitis: vim quandam medicam obtinentes.

AVR. Sed quales sunt hæ aquæ?

THEOD. Non sane aquæ sunt simplices, sed quasi compo-sita; seu potius liquores, balsamis mineralium, & metallorum infecti: à quibus plerumq; Sulphur quoddam rubicundum, instar croci Martis, aut vitrioli austi, decoctione secernitur.

AVR. Quamobrem dicas liquores illos imbutos vaporibus glutinosis; cavernis terræ inclusis, ingenitis & congenitis?

Q. q. q. 5. THEOD.

Tartari
destillatū

Dether-
mis na-
turalibus

De aci-
dulis.

Acidulae
rum de-
scriptio-
nem.